Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 731

Quelle:
Copyright:

ci non poteſt dilectiſſime fili laurenti &c. Finis: *de fide ſpe et caritate conſcripſi.* Solus hic iſtius Συλλογῆς Tractatus in rubricas diſtinctus eſt; reliqui indiviſi decurrunt. Extat Edit. *cit.* T. VI. *col.* 195.

VI. *fol.* 114. p. 2. *Incipit expoſitio Beati auguſtini ad litteram in geneſi*, ſed ſubſtituit manus recentior: *in Geneſi contra Manicheos.* Recte quidem; alia enim ſunt Opera Doctoris noſtri *Liber de Geneſi ad literam imperfectus*, et *Libri XII. de Geneſi ad literam*, qui extant Edit. *cit.* T. III. *col.* 93. et 117. aliud polemica *Expoſitio* noſtra, quae legitur T. I. *col.* 645. in II. ibi *Libros* tributa. Initium ejus eſt: *Si elegerint* (eligerent) *manichei quos deciperent* &c. Finis: *diligentiores tractationes* (diligentioris tractationis) *quę mihi uidebantur expoſui.* Vides lima opus eſſe Exemplo noſtro.

CCCXXXVIII.

U. 89 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 86. f. min. luculente exaratus, rubricis diſtinctus, et a. 1540. ab *Joh. Fabro* Ep. *Vien.* ſuo ad D. *Nicolaum* Collegio transſcriptus continet diverſa partim Integra, partim Excerpta D. *Auguſtini*, quorum is ordo: I. praemiſſa Retractatione *Incipit liber S. Auguſtini de cura pro mortuis.* Ut edit. *Maur.* T.VI. *col.* 515. Hoc quidem modo: *Diu Sanctitatis tue Coepiſcope uenerande pauline reſcriptorum debitor fui* &c. Ita procedit usque ad *fol.* 9. verba: *nonnulla etiam uiſa uigilantium*, a quibus tranſilias, oportet ad *fol.* 53. ubi continuatur Opuſculum: *qui turbatos ſenſus habent*, et demum *fol.* 59. his verbis abſolvitur: *profecto interrogationi tue reſponſio mea defuiſſet.* Quae vero *fol.* 9. poſt verba: *nonnulla etiam uiſa uigilantium*, ſequuntur, fragmentum ſunt Retractationis Libri ſequentis; nam

II. *fol.* 9. p. 2. *Incipit liber S. Auguſtini de utilitate credendi.* Initium: *Si mihi Honorate unum atque idem uideretur eſſe* &c. Finis: *ero fortaſſe in ceteris promtior.* Ut edit. *Maur.* T. VIII. *col.* 45.

III. *fol.* 34. p. 2. Excerpta ex Ejusdem Operibus *de Trinitate anime hominis*, *Quomodo homo regere debeat ſe ipſum*, et *de Moribus et Doctrina.* Brevia.

IV. *fol.* 38. p. 2. *Incipit liber differentiarum Yſidori epiſcopi.* In edit. *Pariſ. Jac. Breulii* 1601. f. p. 291. eſt *Liber* II. ſeu *de Differentiis Spiritalibus*, et incipit *de Deo* hoc modo: *Inter Deum et Dominum ita quidam diſſinierunt* &c. Noſter fiſtit in Differentia *inter actiuam et contemplatiuam uitam* his verbis: *iſta vero boni operis tranſituri merces eſt et requies.* Edita procurrunt longius; dubito autem, an, quae ibi poſt *Artic.* 34. de Scientiis, Virtutibus et Vitiis adduntur, reapſe ad *Iſidori Differentias* pertineant. Ceterum non quidem mendis caret Exemplar noſtrum, ad perficiendum tamen Textum editum non uno loco ſervire poſſit. Ita *Differ.* 3. ubi is legit: *quod Pater nec genitus eſt*

nec